

argento aliquid misit, sed de auro nihil. Cui proinde conector muntiavit: *Nihilne de vitello?* Non Cainum, qui de vilioribus obtulit Deo munera: non Salomonem, qui regi Hiram pro tot lignis pretiosis tantoque auro dedit viginti oppida vilissima, de quibus Hiram ad ipsum: *Hæccine sunt civitates, quas dedisti mihi, frater?* Ideoque vocavit eas *terram Chabul*, hoc est, lutosam, III. Reg. IX. Quos imitatus est hospes ille in vita B. Jordanis ordin. Prædicator. secundi post S. Dominicum generalis, de quo Leander Albertus, apud Sur. 15. februar. ita scribit: « Matrona Gallica, visis fratrum Prædicatorum honestissimis moribus, ægre ferente viro suo, ipsis hospitium præbebat; quippe ibi fratres nondum ædes extruxerant. Forte aliquando viro Dei Jordani hospiti ad se divertenti prandium apposuerat ejusque sociis. Et ecce, prandentibus illis, vir ejus supervenit. Quo viso, iram dissimulans (porro in eam plurimum excanduerat) cum sancto viro consedit, pariterque sumere cibum cepit. Dum vero vinum appositum libavit, mancipio voce ingenti jussit, ut alterius dolii vinum hauriret, ceu dignius decentiusque, licet deterius et pene corruptum. Nempe veneranda matrona optimum attulerat, ex quo doluerat iste plurimum. Itaque jussit corruptum coram afferri, ut uxorem molestia afficeret. Delatum per mancipium vinum, prout jusserat, primus omnium gustat, et quod bene marcidum noverat, optimum prælibat. Igitur se a servo deceptum ratus, truci facie minacique voce iterum jubet ex illo certo dolio vinum afferri. Iterum ex vino allato, et optimum invenit, et in increpationes prorumpens, servumque abire in malam rem malumque cruciatum, jubens, ipse furiis infectus surgens accessit ad dolium, vinum hausit gustavitque. Quo hausto, id optimum et gustui gratissimum sic invenit, ut melius forte jam multo tempore non gustasset. Qua re perterritus, pene factus elinguis, quid ultra diceret, non habebat, simul ac in tantam Prædicatorum patrum admiratione devenit, ut eos apprime diligeret observaretque. Et deinceps uxorem alacri animo libere omnibus iis et hospitium et cibum subministrare permisit. »

Et vero cui debentur optima quæque, nisi Deo et servis ejus? Et quis melius munera nostra remunerari potest, quam Deus? Videte quam liberaliter rependerit his magis, quæ obtulerunt ei munera! Perfudit eos lumine fidei et cognitionis suæ, admonuit per angelum de insidiis Herodis, reduxit eos domum plenos consolatione, postea misit eis Thomam apostolum, a quo plenius in fide imbuti et baptizati sunt, denique prædicatorum Christi, et ut scribit Luc. Dexter. in

chron. martyres facti sunt. Eorundem corpora Coloniae in summa veneratione sunt: animæ vero in cælo cumulate ingenti gloria, beatorum omnium maximo applausu, angelorum admiratione, etc.

CONCIO III.

QUÆ CONVENIENTIA TRIUM MUNERUM REGALIIUM.

In mysterio regalium munerum requiritur illorum combinatio. — I. Aurum requirit thus et myrrham. — II. Thus requirit aurum et myrrham. — III. Myrrha requirit thus et aurum.

THEMA.

Obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Malth. II.

Numerus ternarius etsi universim sacratus et celeberrimus, in sacris tamen oblationibus frequentius observatus est. In primis enim Abraham sacrificaturus Deo, Gen. XV. jubetur sumere vaccam triennem et capram trinam et arietem trium annorum: leprosus mundandus, tres decimas similæ in sacrificium, Levit. XIV. totidem alii Hebræi singuli in Phase et calendis, Num. XXVIII. Anna Samuelis mater in tribus vitulis et tribus modiis farinae obtulit Deo filium suum, I. Reg. I. rursus tres viri ascenderunt in Bethel sacrificandum, unus portans tres hodos, alius tres tortas panis, alius lagenam vini, I. Reg. X. §. III. Ex quibus colligitur numerum ternarium valde usitatum fuisse Hebræis in sacrificiis et oblationibus; haud dubie ut ipsis, licet obscure, insinuaretur mysterium SS. Trinitatis. Sed quid dicemus de tribus regibus, qui hodierno die ad Christum venerunt cum oblatione, ac, licet gentiles, tria tamen, et quidem, ut videtur multis, singuli obtulerunt ei munera, thus, myrrham, aurum? Bene quidem ad hoc respondent patres fere omnes; voluisse eos protestari auro regiam Christi majestatem, myrrham mortem et sepulturam, thure divinitatem: sed videntur lamentari in hoc mirabili munere ternario plura alia latentia mysteria, quæ illorum combinationem necessario requirant. Quæ hic exponere conabimur.

I. Aurum requirit comites, thus et myrrham. Quale aurum? Primo, divitiarum, ut hominem beare in hoc et illo sæculo possit. Id exponit sapiens ille Solon, Græcorum sapientum unus, qui dicebat cum beatos dici posse divites, si pecunias habeant triplici lege: 1. *Ut sint bono modo,* hoc est, justo titulo comparata. 2. *Ut earum cus-*

os non sit infidus. 3. *Ut erogatas penitentia non subsequatur.* Plut. in convivio septem. sap. Tres hæ conditiones non obscure indicantur tribus magorum muneribus. Aurum e metallis omnium purissimum est, et in ignem projectum, omne aliud a se repellit metallum: jubet igitur pecunias esse puras et immunes ab omni injustitia, sine vi ac dolo quæsitæ. Myrrha ex arbuscula spinosa desudat sponte in primis, priusquam incidatur, eaque est præstantissima, stacte seu lacryma appellata; postea etiam defluit ex incisione, minus tamen præstans: vult ergo ut divitiæ prompte se effundant in usus necessarios et honestos, communicentque egentibus, et in eorum sinum defluant (quæ est optima eleemosyna) in alios vero usus superfluos, ægre et non nisi cõacte; sic habebunt fidem custodem. Thus, quando incensum exhalat in fumum, tunc odorem suum exerit, eumque gratissimum; jubet ergo ut divites non doleant, sed gaudeant potius, si bene erogarunt suas divitias. Tolle unum ex his muneribus, jam mutilæ erunt opes, nec felicem reddent divitem.

Secundo, aurum sapientiæ comparatur, Sap. VIII. *Melior est fructus meus auro: et Sap. XVI. Posside sapientiam, quia auro melior est.* Nam ut aurum præstat omnibus metallis ita sapientia præstat omnibus metallis et scientiis rerum humanarum. Hoc ergo aurum desideras; si ne thure et myrrha non facile acquies. Thus, quia aerem suavi odore perfundit, virtutem denotat: myrrha vero, quia amara est, interim tamen utilis valde (conservat enim corpora a veribus et putredine), ad disciplinam; de qua apostolus ad Hebr. XII. ait: *Omnis disciplina in præsentibus quidem videtur non esse gaudii, sed sævoris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit justitiæ.* Hæc jungenda esse docet, Psalm. Ps. CXVIII. illa prece: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me.* Scientiam hic petit; sed quibus adminiculis? Bonitate et disciplina. Indicatum hoc videtur in arca fœderis, quæ intra se inclusas continebat tabulas legis, ut habetur III. Reg. VIII. §. IX. et II. Par. V. §. X. juxta se vero appositum habebat manna et virgam Aaron, ut scribit apostolus ad Hebr. IX. §. IV. Manna, quia suavissimum erat, vitæ bonitatem ac virtutem notat: virga Aaron vero disciplinam, sine qua virtus non addiscitur. Per hæc duo demum pervenitur ad legis cognitionem, et scientiam. Non multum hinc abit S. Greg. hom. X. cum ait: *Aurum afferimus, si sapientiæ lumine splendemus: thus, si orationis studio redolemus: myrrham, si carnis vitia mortificamus.*

Tertio, aurum divinam gratiam significat, Apoc.

III. ubi Joan. episcopo Laodicæ scribit: *Sauces tibi a me emere aurum ignitum,* hoc est, charitatem seu gratiam, ut optime exponit Richar. Bedæ et alii, apud Corn. ibidem. Et jure; quid enim auro pretiosius? Et quid Dei gratia ac charitate præstantius? *Manet,* ait apostolus, I. Cor. XIII. *fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas.* Vis ergo Dei gratiam tibi comparare? Adhibe thus orationis perseverantis, et myrrham mortificationis, seu afflictionis corporis; quia thus, quod suavi odore Deo placando accensum, cælum petit, orationem; myrrha vero, quia amara est, mortificationem repræsentat. Docet hoc in primis Virgo Deipara, quæ, ut scribit S. Bonaventura, in meditat. vitæ Christi, c. III. apparuit cuidam personæ sibi devotæ (quam ipse putat fuisse S. Elisabetham) et hæc dixit: « Filia, dico tibi, quod nullum donum, gratiam vel virtutem habuit a Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda devotione, multis lacrymis et multa afflictione, dicendoque semper placita sibi, sicut sciebam et poteram; excepta sanctificationis gratia, qua sanctificata fuit in utero matris. » Additque: « Pro certe scias, quod nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem et corporis afflictionem. »

II. Thus etiam requirit assecelas, aurum et myrrham. Primo, thus, ut vidimus, orationem denotat. Vis ergo ut oratio tua celos penetret, et quod a Deo postulas potenter impetret? Adde ei alas duas, aurum eleemosynæ, et myrrham jejunii seu alterius castigationis corporis: *Oratio quasi odor suavitatis est operis boni,* ait S. Chrys. homil. XVIII. in Matth. Verum si auro illo et myrrha careat, valde debilis est, teste eodem sancto, hom. XV. in Matth. ubi ait: « Ille præparat animam ante orationem, qui faciens eleemosynam venit ad orationem. Sicut enim oleum accendit lucernam lucernæ, ita et bona opera excitant fidem cordis, et dant confidentiam animæ apud Deum orantem. Ergo eleemosyna præparatio est orationis. Item jejunium est adjutorium orationis, quia oratio sine jejunio gracilis est et infirma: » et infra: « Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite; sic nec oratio sine jejunio, nec jejunium sine oratione. » Habemus hujus veritatis testem luculentissimum, Raphaellem, qui Tob. XII. dixit: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna.* Unde S. August. enar. in Ps. XLII. ad fi. « Vis, inquit, orationem tuam volare ad cælum? Fac illi duas alas, jejunium et eleemosynam. » Jejunium consumit vapores e multitudine ciborum prodeuntes, qui caput opplere et offuscare mentem, adeoque etiam orationis fervorem impedire solent; quibus consumptis, menti seren-

tas redit. Eleemosyna, quæ in pauperibus ipsi Christo datur, eum quasi compellit, ut pro accepto dono donum refundat. Hæc tria dona crebro Deo offerre solebant Tobias et Sara, ut in I. Tob. habetur; hac tam multa bona a Deo impetrarunt Elcana quoque et Anna, media abstinentia et peregrinationis labore ac muneribus ad tabernaculum allatis, additaque oratione impetrarunt filium Samuelem, I. Reg. I.

Secundo, thus confessionem etiam sacramentalem repræsentat; quia uti thus, quasi excrementum arboris, igne comburitur ad Dei gloriam; ita peccata potissimum hominum excrementum comburuntur in confessione, ut per eam glorificetur Deus. Unde S. Hier. ad Ps. LIII. appellat eam holocaustum: « Tunc acceptabis sacrificium, id est, (inquit) confessionem ex ore peccatoris: » et mox: « Jugulando delicta, mactando vitia (in confessione) dignum Deo acceptabileque præparas holocaustum: » holocaustum, inquam, in quo tota hostia comburatur, ut ne reliquæ ullæ supersint. Sacrificium, id est, justitiæ, quia per confessionem redditur Deo honor ablati, dum se peccator reum agit, accusat et punit: porro ut hoc thus suavem Deo odorem præbeat, eget myrrha et auro. Myrrha, ut dixi, amara est et contritionis amaritudinem denotat; unde Thren. II. *Mari amaro comparatur contritio: Magna est velut mare contritio tua.* Non recensenda in confessione peccata velut historia, sed veluti humilis et pudica sui accusatio coram iudice deprompta. Hanc requirit David, Psalm. L. cit. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus.* Sed necdum satis; aurum satisfactionis (auro enim debita exsolvimus) addendum, bona aliena restituenda, fama et honor ablati reparandi, peccata fletibus et aliis satisfactionis operibus puniendi, quod ad priora duo etiam additur, Ps. L. illis verbis: *Tunc impones super altare tuum vitulos.* Unum ex his tribus si desit, jam ex parte mutila reddetur pœnitentia, nec erit *sacrificium odoris suavissimi*, quod requirit Deus.

Tertio, thus quacumque oblationem Deo factam indicat. Hæc ut Deo grata fiat, comites requirit aurum et myrrham. Aurum, ut res bona sit et pura ab injustitia atque infamiæ labe: nam: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris*, ait Ecclesiast. c. XXXIV. Mactat enim pauperem, qui eum deplumat; et quasi ejus sanguinem Deo offert, qui ejus sudorem offert. Iram ergo Dei talis oblatio, non misericordiam meretur. Quid quod etiam in paupere mactat ipsum Dei Filium. Ipse enim in pauperibus est, qui et: *Elegit pauperes in hoc*

mundo, divites in fide et hæredes regni, ait S. Jacob. c. II. Neque hoc satis, sed et myrrha addenda; ita scilicet, ut cum dono offerat homo seipsum corde contrito. Non enim vult Deus donata, sed te. Erravit in hoc Cain, qui cum Deo offerret sua, ait Rupert. I. IV. comment. in Gen. II. « Seipsum sibi retinuerat repositum habens in cupiditate terrena. Hujusmodi portionem Deus non accipit; sed: Præbe, inquit, fili, cor tuum mihi: at Cain cor suum retinuit sibi, et fructus terræ obtulit Deo, Abel autem primo corsuum, deinde rem suam, etc. » Unde dicitur: « *Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus*; primo ad Abel, deinde ad munera. Simili modo tres magi una cum muneribus obtulerunt Christo seipsos corde prostrato et contrito.

III. Myrrha etiam comites suos, aurum et thus non vult deserere. Qua ratione? Inquis, primo myrrha, quia a putredine servat hominum cadavera, beatæ resurrectionis, quæ corpora nostra immortalitate donabit et ab omni deinceps putredine conservabit, spem significat. Omnes quidem cupiunt resurgere in gloria, solanturque se fiducia gloriosæ illius resurrectionis. Verum scire debent hanc gratiosam myrrham nequaquam haberi posse, sine thure fidei et auro charitatis. Fides instar thuris est, quia licet summum aliquid obscuritatis, sine flamma claritatis seu evidentiae, in intellectum immittat, is tamen admodum suavis et salutaris est, cœlestium honorum odore animum mirifice exhilarans et amore accendens. Hæc debet esse divina, et integra, nihil prorsus excludens, quod ab Ecclesia catholica credendum proponitur. Charitas aurum est, ut jam supra vidimus. Hæc alter comes esse beatæ spei vult. Si enim: *Charitatem non habuero, nihil sum, et nihil prodest*, ait apostolus, I. Cor. XIII. Hac de causa reor, Christo in die resurrectionis obtulisse discipulos favum mellis una cum pisce asso, Luc. XXVIII. Favus mellis spem dulcissimam resurrectionis designat; piscis fidem, juxta S. August. serm. XXIX. de verb. Domini, qui ait: *Piscis bonus pia est fides; vivit in fluctibus, nec frangitur, etc.* Piscis vero assatus notat fidem, quæ per charitatem operatur. Fuit Romæ sub Hadriano imperatrice matrona sancta, nomine et re Sophia, seu Sapientia, tres habens filias, cum quibus vidua degebat; vocabatur autem una Fides, altera Spes, tertia Charitas. Hæ propter religionem christianam ad pœnas tractæ, hac se voce animabant: « Una mater nos genuit, eadem tres aluit, ab una sumus educatæ tam corporali alimento, quam spiritali: sit unus finis etiam tribus sororibus; sint etiam sororiæ et germanæ voluntates. Mater eas similiter ad certamen armabat: quod ubi for

titer subierunt, simul eas sepelivit dicens: O quibus ego tribus filiabus honoravi Trinitatem! Qualia dono, quales ei obtuli suffitus!» Metaphr. I. Aug. apud Surium. Junge et tu tres virtutes illas, gratissimum Deo munus offeres, nec non inter sanctos ad gloriam resurges. Secundo, myrrha condiens cadavera (ut bene, non male oleant, et nunquam putrescant) significare potest beatam et pretiosam mortem, quæ vitam bene et juste peractam redoleat, omniumque viventium nares seu memoriam grato odore perfundat. Talem myrrham desiderant quidem omnes Christiani, sed non omnes obtinent, quia non adhibent thus et aurum, necessarios ejus comites. Aurum quid nisi puram et ab omni labe peccati immunem notat conscientiam? Thus vero odorem bonæ famæ significat, teste D. Thom. I. II. q. CII. ar. III. ad ult. quia ut thus nares, ita bona fama memoriam suavi replet odore. Duas illas conditiones ad pretiosam mortem requirit apostolus ad Rom. XII. dicens: *Providentes bona, non tantum coram Deo* (in conscientia videlicet) *sed etiam coram omnibus hominibus.* Quia, inquit S. Augustin. serm. I. de vita com. cleric. *Dux res sunt, conscientia et fama: conscientia tibi, fama proximo necessaria est. Qui fidens conscientie suæ famam negligit, crudelis est.* Si in proximum crudelis est, quomodo odorem myrrhæ spirabit in sepulcro?

Tertio, myrrha balsamo et aromatibus conduntur fere solum principum et magnatum cadavera; ut sic quoquo modo etiam defuncti honorentur cum reliqua pompa funebri. Videmus passim magnates et nobiles multum laborare et impendere in suorum pompam funebrem, ut cum splendore sepeliantur, adeoque myrrha et balsamo condiantur. Verum sæpenumero omittunt thus et aurum, quæ apparatus illum funerum vel maxime cohonestarent. Quid vero hoc thus? Quid aurum? Thus orationis et sacrarum missarum, quæ si loco sumptuosi illius apparatus, vel saltem una cum ipso offerrentur Deo pro defunctis, multo sane magis et ipsis prodesse, et Deo placerent. Etenim: « *Pompa funebris*, ait S. August. de verb. apostoli, Thessal. IV. agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta instructio, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum. » Thuri accedat aurum eleemosynæ et sedula executio voluntatis defuncti, testatoris et piorum legatorum, defensio pupillorum, etc. Hæc duo ornant funera, magis quam ulla pompa. Audiatur S. Chrysost. hom. LXXI. in Joan. « Honor mortuum non fletus est, non ejulatus, sed hymni et psalmi: » et mox: « Vis honorare mortuum? Alia via aggrediendum est; fac eleemosynas. » Quod vero omnino neces-

sarium est maxime providendum, ut voluntas testatorum, præsertim in quantum justitiam et pia legata concernit, executioni mandetur, sicque ejus aurum pro salute animæ fideliter dispenseatur. Exemplum audiamus quod P. Martinus Delrio, I. II. disquit. q. XXVI. sect. V. recenter contigisse scribit his verbis: « Horrendum plane quod hesternæ die legi perscriptum Ticino, mense aprili hujus anni 1601. in diocesis Ticinensis oppidulo, quod Corretto vocatur: cum justa in templo cuidam notario persolverentur, repente e sandapila se cadaver surrexisse, et conversum ad quemdam cognatum suum, qui funeri intererat, ei dixisse: Properaret domum suam, et ibi scripta quædam instrumenta caperet, eaque loco cuidam pio confestim restitueret; propter quæ suppressa, ipse defunctus, justa Dei sententia, foret inferni supplicii adjudicatus. Quo dicto, iterum caput uti prius reclinavit. Hoc a Deo permissum, ut discerent mortales, quam graves pœnæ scribas hujusmodi perfidos, piorum legatorum interceptores, manerent. » Sic ille.

Multam ergo sapientiam cum tribus suis muneribus docuerunt nos, auditores, sapientes illi magi; qui cum primi nostri e gentibus doctores sint, a nemine christiano non audiendi sunt. Sit ergo hic ternarius insculptus cordibus nostris, ut demum una cum tribus illis doctoribus, usque ad contemplandam speciem divinæ celsitudinis et beatissimæ illius Trinitatis perducamur.

CONCIO IV.

MIRA ET PARADOXA IN MAGORUM ADVENTU.

Ad panem filiorum comedendum veniunt canes. — I. Gentiles agnoscunt Deum natum ex stella, quem Judæi ex libris suis non cognoverunt. — II. Gentiles venerantur vagientem, quem Judæi crucifigunt mira facientem. — III. Magi a longe veniunt ad Christum, quem Judæi prope se non quærunt. — IV. Divites veniunt emere cœlum, intraturi per foramen acus. — V. Tres reges Messiam prædicant, et nemo eos audit: cum uno Herode turbato omnes turbantur. — VI. Gentiles inveniunt thesaurum in tenebris, quem Judæi in luce præterierunt. — VII. Tres reges ad unum regem infantem et pauperem veniunt, ut eum adorent.

THEMA.

Ecce magi. Matth. II.

Mirum et paradoxum aliquid denuntiat nobis Matthæus, cum ait: *Ecce magi.* Et quis non miraretur venire reges gentiles idolorum cultu infames ad Hebræorum regem et Messiam, non venire

Hebræorum principes et populos? Nonne ipse Christus ad Syrophœnissam dixit: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus*, Matth. XV. hoc est, panem Hebræis destinatum dare gentibus? Et en mittitur e cœlo panis vivus in Bethlehem (domum panis) Juda, et ad illum manducandum veniunt gentiles, non veniunt Judæi. Verum nemo hoc miretur: sat enim superque vocati sunt ad regem suum Hebræi, partim per pastores, partim per illorum prophetas et sapientum responsa, partim per hos ipsos magos: quia vero ad panem hunc sumendum ipsi venire noluerunt, ecce magi gentiles ab oriente advocantur. Quæ causa etiam fuit, cur evangelium a Judæis translatum sit ad gentiles, testibus Paulo et Barnaba: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud et indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*, Act. XIII. Pauper ille Lazarus jacebat ante fores epulonis, plenus ulceribus, ut accipiendo elemosynam, procuraret ipsi vitam æternam: sed quia ab eo repulsus est, venerunt ecce canes, et lingendo ejus ulcera, pabulum invenerunt, Luc. XVI. Jacuit et Christus natus, plenus miseriis, pauper infans in stabulo, præ foribus Judæorum, ut panem eis cœli daret: sed quoniam respuerunt illum, ecce magi, ecce canes et gentiles veniunt ad ipsum, et saturantur pane illo. Porro quia in hoc paradoxo continentur plura alia, ea nunc investigabimus.

I. *Ecce magi*, qui prius veri Dei nullam prorsus habuere cognitionem, agnoscunt Deum natum, ex stella, quem non invenerunt Judæorum sapientes in prophetarum libris: itaque cæci vident, et qui oculos habent, non vident. Quid magis paradoxum? Hoc est, quod in primis pro miraculo prædicat et miratur Isaias, c. I. dicens: *Cognovit bos possessorem suum et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit*. Boves quasi et asini erant gentiles respectu Judæorum; quia isti habebant libros sacros, a quibus Dei veri cognitionem poterant haurire, illi vero creaturas tantum, e quibus non nisi obscure poterant Deum discere; unde quasi boves et asini erant, cæci et ignorantes in rebus divinis; et tamen *ecce magi*: isti plus didicerant e stella, quam Judæorum sapientissimi e libris suis. Itaque boves et asini Deum agnoscunt, sapientes Judæi nesciunt. Alexander magnus Ephesi suam ipsius imaginem equo insidentem, quam Apelles pinxerat, aliquando contempletus, non laudavit pro dignitate picturæ. Cum vero introductus equus adhinneret equo picto, proinde atque vero: *O rex*, inquit Apelles, *hic sane equus artis pingendi peritior esse videtur quam tu*, Ælian. l. II. var. hist. c. III. Dici hoc

legisperitis et sacerdotibus Judæorum poterat qui prophetarum oracula habebant ac solvebant, nec tamen adventantis Messie tempus inde deprehendebant; cum id tamen magi gentiles deprehenderint. Eiusdem cæcitatibus arguit Alexandriam S. Antonius, cum in solitudine obvium habens montruosum ac ferum hominem, quales Fauni et Satyri a gentilibus culti, Christi fide imbutum, dixit: *Væ tibi Alexandria! Bestiæ Christum loquuntur, et tu pro deo portenta veneraris*, S. Hieron. in vita Pauli eremitæ. Pari modo sævo bestiæ redarguerunt Promotum, Numentanæ civitatis præsidem: qui cum contra SS. Primum et Felicianum duos immisisset leones ferocissimos, illique ad pedes sanctorum procubuissent veluti catelli, rursumque id ipsum ursi paribus blanditiis fecissent; tum martyres: « En, præses inique, aiunt, feræ agnoscunt creatorem suum; et vos, cæcitate mentis percussi, non agnoscitis eum, qui vos ad imaginem et similitudinem suam creare dignatus est. » Ut in eorum actis Lipel. 9. jun. Utinam soli gentiles et Judæi a brutis eruerentur! At vero multi etiam Christiani feris immaniores atque immitiores reperiuntur, qui inimicis etiam prostratis parcere nolunt; in pauperes inhumani atque crudeles sunt, quod ab ipsis leonibus alienum est.

II. *Ecce magi* venerantur et agnoscunt Christum Dei Filium, stabulo jacentem, et parvulum vagentem, ab omnibus neglectum, summa paupertate obsitum, nihil prorsus miraculi edentem, imo nec loquentem; quem Judæorum pontifices, scribæ et Pharisei cœlestia prædicantem, stupenda miracula patrantem, sanctissimam vitam agentem, a Deo Patre, Joanne Baptista, Simeone et Anna aliorumque testimoniis clarificatum, non tantum non agnoverunt, sed velut malefactorum in crucem egerunt. Bene etiam hoc Isaias, c. LXV. exprobravit Hebræis, dicens: *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant, invenerunt, qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego, ad gentem, quæ non invocabat nomen meum: ad Judæos vero subdit: Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, etc.* Contigit nimirum ipsi, quod insipientibus illis servis Tyri, apud Justinum, lib. XVIII. histor. qui cum civitatem in suam redegressent potestatem, et decrevisset illum e suo numero regem eligere, qui postero die primus orientem solem vidisset, omnes ad orientem oculos converterunt, præter unum, qui ab hero suo edoctus, aciem in occidentem direxit, usque dum incidentes in montium cacumina radii, solem ipsi primo omnium ostenderunt; quare rex coronatus est. Insipientes Hebræi Messiam expectarunt gloria et honore circumdatum, regioque cum

splendore, Salomone ditioem, venturum in hunc mundum, velut ab oriente, quomodo et illi viginti quinque viri stantes visi in templo, et convertentes ad orientem facies suas, dorsa vero alteri obvertentes, Ezech. VIII. at vero magi isti edocti a Deo, coniecerunt oculos suos in occidentem, quærentes Christum non in opibus et deliciis, sed in paupertate et contemptu: ut quæ magis decerent eum, qui omnium Salvator et doctor, viæ dux et consolator esse debeat: ibique invenerunt eum atque cognoverunt: *Magnalia honoris ejus*, inquit Ecclesiasticus, XVII. *vidit oculus illorum, et honorem vocis audierunt aures illorum, et dixit illis: Attendite ab omni iniquo*, quasi alludens ad magos illos, quibus in somnis dixit Deus, ne redirent ad Herodem. Viderunt sane isti magnalia honoris Christi; quia gloriam et honorem in ipsa ejus infantia, nuditate et paupertate. Viget hoc magorum lumen in iis, qui Christi humilitatem, paupertatem et contemptum æstimant, amant et amplexantur, velut summi honoris symbola. Durat vicissim etiam Judæorum cæcitas in multis Christianis, qui Christum se visurum et inventurum putant in deliciis, divitiis et honoribus hujus sæculi, contra id Jobi XXVIII. *Sapientia ubi invenitur? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium*.

III. *Ecce magi* et sapientes longissimo itinere veniunt ad infantem, coram eo se prosternunt et ab ipso lumen fidei accipiunt. Quis unquam tale quid vidit, ut mundi sapientes veniant ad infantem, et doctrinam ab eo capiant? Scimus ex apostolo, I. Cor. VIII. quod *scientiâ inflat*, et videmus sæpe viros doctos in sæculo parum æstimare sacra, nauseare Dei verbum, raro frequentare sacramenta, virtutes frivole colere. Erant tales in primis Scribæ et legisperiti Judæorum, Pharisei et Sadducæi, qui præterquam quod ex prophetarum oraculis tempus Christi advenientis discere poterant, a magis etiam id audierunt, nec tamen vel pedem, ejus quærendi gratia, in tam vicino loco, moverunt; postea etiam omnium maxime Christo se opposuerunt, cum alioquin plebs valde ipsi addicta esset, et magno numero crederet. Unde docuit Christus, Joan. IX. *In judicium ego in hunc mundum veni; ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant*, hoc est, ut gentiles et Christiani rudes ac simplices lumen Christi videant et avide atque humiliter suscipiant; scribæ vero et mundi sapientes sua scientia inflati excecantur et Christum repellant. Duæ sunt partes humanæ mentis, intellectus et voluntas; quæ primo ille oculatus, hæc vero cæca est, quæ nisi intellectum bene illustratum sequatur, hominem pessumdabit. Cognoscenda via salutis est, sed et

percurranda. Cervæ illa Æsopica fab. LXIII. altero oculo acutum videns, altero cæcata, caute sibi providit, ne in canes aut venatores incideret, dum ad littus semper maris pastum quærebat; ita tamen, ut in pastu oculum sanum ad terram, cæcum ad mare converteret, unde nihil sibi timebat. Verum tandem se deceptam vidit, dum hoc modo pabulanti venator adnavigavit, qui inadvertentem jaculo stravit. Habent eruditi et sapientes viri oculum quidem intellectus sanum et apertum, voluntatis tamen sæpenumero cæcum: vident quo eundum sit, non moventur tamen, ut eant; sicque illis tandem, quod cervæ illi, contingit, ut secundum animam pereant cum scribis et Phariseis, qui viam quidem ad servatorem suum cognoverunt, sed non ambularunt. Quare etiam sapientes et litterati verbo Dei egent: licet enim habeant intellectum illuminatum, cæcam tamen et affectam sæpe habeant voluntatem.

IV. *Ecce magi* divites et reges veniunt ad Christum supplices, pro regno cælorum sibi comparando. Quis audivit facile talia? Hic enim revera accidit, quod Christus difficillimum esse dixit Matth. XIX. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum*, siquidem Isaias, c. LX. prædixit: *Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Ephraim*. Hoc autem impletum esse in magis istis scribit S. Hieronymus, in c. XIX. Matth. his verbis: « Si legamus Isaiam, quomodo cameli Madian et Ephraim veniant Jerusalem cum donis atque muneribus; et qui prius curvi erant, et cum vitiorum pravitate distorti, ingrediantur portas Jerusalem; videbimus quomodo et isti cameli, quibus divites comparantur, cum deposuerint gravem sarcinam peccatorum, intrare possint per angustam portam. » Magnum igitur miraculum edidit magi isti, de quo Ecclesiastici XXXI. dicitur: *Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic? Et laudabimus eum*. Cum enim divitiæ maculent; isti maculam si habuerunt, cum auro deposuerunt. Deinde, non ipsi post aurum, sed aurum post ipsos abiit ad Christi præsepe: denique, spem sui abitus et reditus non in auro, sed in Christo posuerunt. Ubi passim tales divites? Non Herodes, non pontifices, non opulenti cives Jerosolymæ, quorum nullus ad Christum venit: soli pauperes ad eum accesserunt. Sed nil mirum si pauperes veniant: aditro enim Lucas, cum de pastorum accessu ad præsepe scribit, non addit particulam *ecce*, quasi ea res mira esset; addidit vero Matthæus, cum adventum magorum scripsit: *Ecce magi*. Magnum in dorso gibbum gerunt opulenti: thoracem gerunt plumbeum,